



## **Praxis Avrea Qvotidianarvm Rervm Ecclesiastici Fori**

In qua Variæ Iuridicæ Resolutiones ex approbatis traditionibus Doctorum,  
atque diuersorum Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, Decisionibus,  
excerptæ, continentur; Opvs Qvatvor Partibvs Distinctvm

Continens Tertiam, & Quartam Partem: Quibus, hac nostra editione ab  
innumeris mendis repurgata ...

**Riccio, Giovanni Luigi**

**Venetiis, M.DC.LXXIV.**

Praxis Commvtationis Vltimarvm Voluntatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98599](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98599)



- 3 *Cum agitur de separatione Thori, Index Ecclesiasticus est competens.*  
 4 *Si agitur de punitione delicti, Index secularis est competens.*

Cognitio criminis adulterij ad effectum separationis matrimonij spectat ad Episcopum.

- 1 **P**rimus homo qui adulterium commisit, fuit Lamech, ut habetur in capit. districta 24. quæst. 3. ubi Turcremata num. 10. dicit quod fuit grauius punitum, quam homicidium Cain: & pro Iudice seculari facit text. in cap. Rex debet 23. quæst. 5. ubi cognitio adulterij est mixti fori, & sic uterque Iudex potest cognoscere, & ibi illud notat Turcremata, Innocent. & Abb. & cap. tua de procuratoribus, & Ioan. Andr. in capit. fin. de adulteriis lib. 6. & in capit. 10. de offic. ordin. ubi Aleiat. nu. 18. testatur hanc esse communem opinionem, Roman. conf. 678. Bal. in Authen. Clericos num. 7. C. de Episc. & Clericis, Couar. de sponfalibus 2. par. cap. 7. num. 20. Iulius Clarus receptorum sententiarum lib. 5. quæst. 37. qui alios refert dicentes communem, Decianus in tractat. criminali to. 1. cap. 26. num. 2. Gregorius in l. 58. glo. 5. tit. 6. partita 1. Gomez. in l. 80. Tauri num. 47. vers. vnum tamen est Diaz in practica criminali, cap. 79. Menoch. de arbitris, casu 419. Guid. Papa decif. 68. Franchus decif. 312. Boer. decif. 292. Austerius de potestate seculari in Ecclesiast. regula 4. quæ cognitio mixti fori intelligenda est, si agatur de peccato puniendo, secus si de delicto, quia tunc Iudex laicus est solitus Iudex nisi agatur de separatione matrimonij ob causam adulterij, quia solus Ecclesiasticus cognoscit.
- 3 Et sic aut agitur civiliter contra adulteros, vel criminaliter, aut ad separationem matrimonij, & restitutionem dotis, si ad separationem matrimonij, & tunc coram Iudice Ecclesiastico agendum est cap. tua de procuratoribus, quia pena separationis Thori est Canonica, quæ videtur impedire sacramentum matrimonij, & sic solus Iudex Ecclesiasticus cognoscit, quam opinionem sequitur Romanus dicto singulari 674. Felyn. in capit. cum generale, de foro competent. versic. respectu adulterij, Iulius Clarus quæst. 37. quæro numquid in fine, Gomez. in dicta lege 80. Tauri num. 47. versic. vnum tamen scias, Decianus dicto cap. 26. num. 7. versic. Tertia conclusio, Bermondus, qui hanc dicit communem opinionem, & pro hac sententia consuluit Angelus de Vbaldis inter consilia matrimonialia conf. 42. ubi tenet quod si Iudex secularis velit procedere quod possit inhiberi a Iudice Ecclesiastico sub pena excommunicationis, idem tenet Decius in consil. 212. quia quotiescumque agitur ad separationem matrimonij, licet adulterium opponatur in vim querelæ adhuc crimen est merè Ecclesiasticum, ut docet Federicus Senis consil. 236. tit. de comp. Iudicis §. 1. versic. 17. Paulus de Castro consil. 65. volum. 1. num. 3. pro qua sententia est bonus text. in cap. plerumque de donationibus in tantum quod non potest peti restitutio dotis propter adulterium coram Iudice laico cum prius agendum est ad separationem Thori coram Ecclesiastico, & accessoria petenda dotis restitutio, si verò agatur de mero facto petendo dotem propter adulterium commissum, de quo constat per sententiam, vel per confessionem partis, ut tradit Franch. decif. 312. num. 6. versic. sed ad hoc dictum fuit, tunc solus Iudex laicus est competens, ut semel vidi iudicatum, quia de adulterio commissio constabat per executorias, & sic per Iudicem laicum fuit dos restituta marito.

Si verò agatur criminaliter de punitione delicti secundum penam legis, vel Canonis tunc Iudex secularis est competens, & non Ecclesiasticus, Authent. sed

hodie. C. ad l. Iulian. de adulteriis. Auth. nulli iudic. §. si quando vero, & quando puniatio, & accusatio est inter laicos, ut in l. 80. Tauri, ubi solus maritus potest accusare uxorem adulteram, quod huius cognitio ad solum Iudicem laicum spectet, tradit Innocentius in dicto cap. tua de procuratoribus, quia Iudex Ecclesiasticus non debet sententiam sanguinis proferre, cap. sententiam sanguinis, ne Clerici, vel Monachi, & si Iudex secularis debet illud delictum punire, ut in cap. si quis 23. q. 4. & in cap. Rex debet 23. q. 1.

## PRAXIS COMMUTATIONIS VLTIMARVM Voluntatum.

### RESOLVT. CCLXXVI.

- 1 *Destinata ad pios vsus non possunt in alium conuerti citra summum Pontificis consensum.*
- 2 *Legatus a latere non potest commutare destinata ad pios vsus etiam in aliud melius.*
- 3 *Voluntas Testatoris pro lege seruanda est.*

Deputata ad certos pios vsus, an possint commutari ad alios meliores, sine autoritate Pontificis, cum consensu hæredis.

**P**luries accidit quod testatores faciunt legata ad pios vsus, quæ non possunt deferui pro vsibus destinatis, & aliquando Ecclesiæ pro earum necessitate, vel vtilitate vellent uti legatis ad alios vsus, quam destinatos, consultus fui pluries, an autoritate Episcopi id fieri possit, & quia hæc materia est valde vtilis, & frequens, nonnulla in hoc titulo colligere putauit itaque conclusio quod destinata, siue relicta a fidelibus, ad certos pios vsus non possunt in alios conuerti sine autoritate Papæ, text. Clarus in Clement. 2. quia contingit de relig. domib. itaut nec fieri possit commutatio a Legato de latere, Card. Imola, & Bonifacius in d. Clement. etiam si commutatio fieret in melius, iuxta veriorum opinionem Lap. Imol. Bonif. in d. Clement. Abb. in capit. tua nobis num. 4. de test. Spin. in specul. testam. gl. 10. num. 24. Aufer. ad Capell. Tholos. decif. 24. Caualean. decif. 40. num. 11. quia voluntas testatoris pro lege seruanda est, cap. vltima voluntas 13. q. 2. Mantica de conicet. vlt. volunt. lib. 3. tit. 3. & etiam si accedat consensus hæredis, quia non agitur de vtilitate ipsius, cui possit renunciare, sed de seruanda voluntate Defuncti, Card. Imol. Bonif. ubi supra Felyn. in cap. cum accessissent, num. 19. de constit. Nonarius in tract. de priuileg. miserabil. personarum priuileg. 71. num. 6. qui alios allegat.

### RESOLVT. CCLXXVII.

- 1 *Derogatio iuris quesiti non est necessaria in commutatione vltima voluntatis facta per Papam, & num. 3. & 5.*
- 2 *Clausula non obstante non solum operatur validitatem commutationis, quoad nam partem testamenti, sed etiam totius.*
- 4 *Clausula non obstante tollit ius alteri quesitum.*
- 6 *Gratia erectionis de sui natura est præiudicialis.*
- 7 *Archidiaconus habet iurisdictionem in Ecclesia Cathedrali, quæ quando sublata censetur ibidem.*

Derogatio iuris quesiti, an sit necessaria in commutatione voluntatis, facta per Papam.

1 **D**ixi non esse necessariam, sumus enim in commutatione voluntatis, de vno vsu in alium facta per summum Pontificem, cum clausula non obstante, quæ sufficit, absque eo quod requiratur vltior derogatio



gatio iuris quaesiti, cum per dictam clausulam satis appareat de eius mente, quod intendit uti supremo iure potestatis supremæ, ut concludit Bald. in l. si testamentum 10. in princip. & in fin. versic. per temeritatem, & ibi etiam Corn. in fin. versic. sed ea plenitudine num. 9. Iason nu. 3. Castr. nu. 2. C. de testam. Alex. ad Bart. in l. legatum Ciuitatis in verb. in alium vltum

2 ad med. versic. item nota quod licet Papa, ff. de usufruct. legat. ita ut huiusmodi clausula non solum operetur validitatem commutationis, quo ad vnam partem voluntatem testatoris, sed etiam reuocationem totius testamenti iam perfecti, ut concludunt omnes Doct. supracit., quamuis in casu, in quo nulli fieret præiudicium, talis commutatio valeret, etiam sine dicta clausula, non obstante Castr. in d. l. si testamentum in fin. versic. sed quaeritur an Princeps, C. de testament.

3 Immo in casu nostro fuit derogatum regulæ, de iure quaesito, cum sufficiat quod Papa vtatur verbis, quomodo cumque derogatorijs ad effectum, ut sit sublati dicta regula Rota coram in Sacroto Caesar Augustana iurisdictionis 5. Februarij 1609. & cum in casu, de quo agimus, ad sit clausula non obstante per eam est sublati ius tertij, cui apparet per Principem, voluisse derogari cum dicta clausula operetur, & tollat

4 ius alteri quaesitum; non secus si dictum fuisset de plenitudine potestatis, & ex certa scientia. Alexander consil. 101. visis instrumentis exemptionis colum. 5. ad fin. numer. 9. lib. 1. Cyn. in l. vltima numer. 3. in fin. versic. Petrus videtur dicere C. si contra ius, vel vtilit. public. Butr. in cap. quæ in Ecclesiis. col. penult. ad med. versic. aut totaliter in tollendo, num. 28. & ibi Io. Andr. ante med. versic. vbi vero præscriptum, de consil. Calder. consil. 12. in princip. de rescript.

5 Et si non esset facta derogatio dictæ regulæ adhuc valeret commutatio, quia derogatio non esset necessaria, ex quo cessat dicta dispositio regulæ, quando materia super qua cadit concessio, est de sui natura præiudicialis, prout sumus in casu nostro, in quo præiudicium tertij necessarium, & apparetur continetur, quia alijs præiudicium, & commutatio voluntatis, esset sine effectu. Corn. consilio 83. circa primum consultationis, colum. penult. post med. versic. tertio respondetur num. 16. lib. 4. post Bald. in l. nec aus 4. in princip. C. de emancipat. liberor. Rot. coram Cardin. Seraphino Iherden. præheminentiarum 26. Iunij 1602. quæ est inter impressas decil. 1445. vbi de Ecclesia parochiali erecta in collegiatam, quæ eo ipso in necessariam consequentiam præcedit alias parochiales, quamuis non sit derogatum dictæ regulæ, de non tollendo, cum talis derogatio non sit necessaria quasi gratia erectionis sit de sui natura præiudicialis dictis Ecclesijs, nam mutato statu dicitur mutatum antiquum ius, Rota coram Sacroto in Lauretana iurisdictionis 20. Iunij 1616. Exemplo loci, qui erigitur in

7 Cathedrali, in quo Archidiaconus habet iurisdictionem, statim enim tollitur huiusmodi iurisdictione, & applicatur præiudicio tertij, ut concludit Hostiens. in cap. cum inferior. 16. colum. 2. ad med. versic. ex quo aliquis Episcopatus de maioritate & obedientia Rota in d. Lauretana iurisdictionis 20. Iunij 1616. coram Sacroto.

# RESOLVT. CCLXXXVIII.

- 1 Hæres, an possit cum consensu Episcopi mutare conditiones appositæ a fundatore, ob cultum diuinum.
- 2 Voluntas defuncti honesta obseruari debet.
- 3 Insignia fundatoris, in Ecclesia ab eo fundata, an per hæredem tolli possint, & num. 4.
- Et quid in alijs benefactoribus, num. 5.
- 6 Dominus, non potest inhabitare in loco, in quo alter vsum habet.

7 Sepulcrum alicuius familie, illa extincta, an alteri concedi potest.

8 Vsufructus ad proprietatem reuertitur, vsufructuario defuncto.

Conditiones appositæ a Fundatore ob cultum diuinum, vel ob sui memoriam, honorem, & commodum suæ familie, an mutari possint.

1 Ego fui multoties in opinione, quod conditiones quas Fundator, ob cultum diuinum, vel ob sui memoriam, honorem, & commodum familie suæ obseruari voluit eas hæres, vel successor, quamuis consentiente Episcopo mutare, vel tollere omnino non potest, contra defuncti voluntatem; Nam pia, & honestam voluntatem defunctorum obseruari naturalis æquitas postulat, sicuti habetur in l. 1. C. de sacrosanct. Eccles. capit. vltima voluntas 13. q. 2.

2 Vnde ex his resoluendum est, quod hæres, vel successor, ipseque Episcopus, nisi grauisima causa postulante, auferre non possint insignia fundatoris, posita in Cappella, vel Ecclesia quam construxit, aut dotauit neque liceat successor, si alterius familie sit sua insignia eo loco ponere, ut nimirum memoria primæ foundationis perpetuetur, qua de re vide Lambertinum, de iure patronat. quaest. 5. eademque est ratio de sepulchro, fundato tali lege expressa, vel tacite constituta, ut in eo soli descendentes, siue hæredes sanguinis sepeliuntur cuiusmodi appellantur sepulchra maiorum.

3 Eademque ferè ratio esse videtur, eorum beneficiorum, qui Cappellam suis sumptibus extruxerunt positis in memoriam insignibus suis sepulchro, & c. quæ proinde sine magna necessitatis ratione auferri non debent, neque referri, & si familia extincta sit, quia nihilominus optat fundator in hominum memoria, viuere præsertim Christianorum quippe, qui hac ratione excitantur ad orandum pro anima illius: Nam alioquin homines pii reuocabantur ab huiusmodi constructionibus, si eorum iura, & positæ memorie in animarum suarum vtilitatem, temere violentur, possunt verò interim etiam aliorum nouorum beneficiorum insignia, & sepulchra in Cappella admitti saltem cum intentione, ut intelligatur quis primus constructor fuerit, idque ob receptam Doct. regulam, quod fundator, vel benefactor non censetur impedire velle, Ecclesie vtilitatem.

4 Item, alia ratio esse videtur de alijs benefactoribus, qui Ecclesiam, vel Cappellam non construxerunt, sed tantum in ea ius sepulture sibi comparauerunt, & si enim his, & hæredibus eorum inuitis, extra casum necessitatis, vel magnæ vtilitatis, alios ibi sepelire non liceat, quia talia sepulchra instar hospitij esse censentur, iuxta

5 cap. Ebron. 13. q. 2. at qui in fundo, in quo alter vsum habet, non potest Dominus habitare vsuario inuito, l. si hæres §. final. & leg. seq. ff. de vfu, & habitatione legata. Tamen postea, quam tota progenies benefactoris extincta est, multi censent vsum Cappellarum, & sepulcrum eiusmodi alijs concedi posse, Azo in summa Instit. de vfu, & habit. §. si verò vfu, & §. illud, Angelus ver. sepultura, §. 41. Armilla num. 24. Rodriquo

6 tom. 3. reg. qq. q. 59. art. 10. Tum quia sicuti morte vsufructuarii eiusque descenditum redit vsufructus ad proprietarium iuxta l. corruptionem, C. de vsufructu, ita etiam ius Cappellæ, & sepulcræ mortuo benefactore, eiusque redditus redit ad Ecclesiam, eiusque Rectorem, ut alijs concedi possit; Tum quia alioque, enim impedirentur alijs quo minus Ecclesiam ornare, & beneficijs suis augere possint. Denique si causa necessitatis, vel vtilitatis, postulet tunc Episcopus, vel alius Ecclesie Prælatus, etiam inuito benefactore, aut hærede ad quem ius sepulchri pertinet alios in eo sepellire potest, sicuti docet Armilla loc. cit. Sauer. in verb.



verb. sepultura nu. 5. eodemq; modo intelligendum.  
puto, Sylu. eodem verb. quæst. 3.

## RESOLVT. CCLXXIX.

- 1 *Episcopus non potest mutare qualitatem beneficii à fundatore appositam.*
- 2 *Dispositio defuncti, ubi certa est ab Episcopo alterari non potest.*
- 3 *Legatum factum ad opus illicitum, an hæredis lucro cedat.*
- 4 *Princeps tantum supremus potest ab vno quid auferre, & alteri dare.*

Qualitas beneficii à primo fundatore appositæ, an mutari possit per Episcopum.

- 1 **I**N casu hæredum Francisci de Nardelis, dicebam. annis elapsis, consultus quid sentirem, quod ubi iusta, & rationabilis est dispositio fundatoris, ea ab Episcopo, vel alio, Papa inferiore, Prælato mutari minimè potest, per text. in Clement. quia contingit de Religiof. domibus, & in cap. tua nobis, de testam. ubi dicitur, in omnibus pijs voluntatibus per locorum Episcopos providendum, ut secundum defuncti voluntatem vniuersa procedant; quò loco Abb. num. 5. Couar. nu. 11. annotarunt, à solo supremo Principe, qualis in Ecclesiasticis est Papa, vltimis voluntatibus, per plenitudinem potestatis, ob causam iustam derogari posse, iuxta Clement. quia contingit de Religiof. domibus, & docet Rochus de iure patronatus, in verb. pro eo num. 31. quæst. 15. Casar Lambertinus de iure patron. qu. 5. princ. artic. 3. nu. 6. Nauar. de rebus Eccles. qu. 1. mon. 50. numer. 5. & consil. 5. de præbend. numer. 3. edit. 2.

Est enim hæc assertio vniuersalis, de omnibus vltimis voluntatibus, modò iustæ, & rationabiles sunt, atque insuper certæ, seu indubitata, sicut bene admonet Rochus citat. quæst. 25. ex Baldo, & alij regulam tradens vbi cumque dispositio defuncti certa est, respectu causæ personæ loci, & c. ab Episcopo alterari non possunt, sin verò dubium sit de voluntate defuncti ad loci Episcopum, haud dubiè pertinet eam interpretari, deinde si voluntas defuncti irrationabilis existat, poterit se Episcopus opponere, ut executio non ita sed aliter fiat: quandoquidem defunctus Episcopo legem imponere non potuit, quò minus de pijs suis foundationibus, aut relictis, secundum sacros Canones, quod rectum, & recens est, constituat sicuti iudicat, glof. citat. c. tua nobis, ver. voluntatem, & docet Abb. ibid. num. 5. idque etiam ciuili iure de relictis profanis traditum est, l. legatum, ff. de usufruct. legato, quod legatum ad opus illicitum, v.g. spectaculum in Ciuitate non permissum hæredibus, cedere non debeat, sed publica magistratus potestate cum hæredum consensu, ad aliud opus licitum applicari, quinimò si hæres, aut patronatus alijvè, quorum interest consentire, nolint, etiam ipsis inuitis, Prælati disponere poterit, maxime locum haberet, si mutatio aliqua facienda sit, cum præiudicio illorum, qui etiam consentire recusant: quandoquidem solius Principis supremi est auferre vni, & alteri dare, ait glof. in l. cap. constitutus, ver. à quocumque, de religiof. domibus, vel si qualitas, seu conditio à fundatore appositæ mutanda sit in totum, seu in perpetuum talem mutationem ab Episcopo institui non posse fateantur omnes, cum interim Lambertinus, & alij apud Rochum locis citatis permittant Episcopo, ut pro vna vicè, aut breui tempore mutationem, aliquam dispensatiuè ob causam rationabilem efficere possint.

## PRAXIS MIRACVLORVM.

## RESOLVT. CCLXXX.

- 1 *Miraculorum requisita recensentur, & num. 2. 3. 4. 5. & 6.*

Miracula vt propriè dici valeant, quæ requirantur.

- 1 **A**D Miraculorum verificationem, nonnulla concurrere debere, mihi suadeo.

Primò, ut sit aliquid arduum, & difficile, ut saturatio quinque millia hominum, cum quinque panibus, & duobus piscibus. Ioan. cap. 6. ubi ait, vnde ememus panes ut manducet hi? & Marc. 8. quis potest hos saturare in solitudine? ubi arduum, & difficile demonstratur, & pariter ut sit insolitum, ut siltere Solem, & Lunam Iosue 10. & 4. Reg. cap. 20. & Isai. cap. 38. ubi est magna difficultas, an silterint omnes Cæli, vide pro hac materia Sot. 4. sent. dist. 48. q. 2. art. 2. & quod insolitum sit à Deo, ostenditur ex eo quod necesse est, quod præsumitur Martyres à Deo impetrasse, quæ mandat, cap. si quis preposita 50. distin. & hoc casu procedit illum quod dicitur facere miracula, est donum Spiritus sancti, ut in cap. quærendum, de penit. dist. 2. & ibi notat alios, non est miraculum sicut fecerunt Magi Pharaonis, qui fecerunt ranas, & serpentes conuertentes eorum virgas sicut faciebat Moyses, de quib. in c. nec mirum 26. q. 5. & illud propriè dicitur præstigium, c. re vera, & ibi Arch. de consecrat. d. 2.

- 2 Secundo requiritur quod sit contra naturam, sicut dictum est de virga Moysis, mutata in serpentem, & de Asina loquente ad Balaam, de quibus in cap. re vera, & in cap. cum ex iniuncto, de hæret. & in d. cap. re vera ponitur de virtute dictæ virgæ, de qua etiam habetur Exod. 68. 14. 16. 17. & Ios. & 4. & confert illud simile in Ioan. c. 9. de cæco nato, ubi fecit lutum, quod non solum non est illuminatiuum, sed obæcantiuum.

- 3 Tercio fit fiat de his, quæ raro fiunt, ut Dignus Augustinus lib. de viliis, creden. ad Honoratum c. 16. Th. loc. cit. art. 7. ad secundum, & 2. art. 1. & 2. vide addit. Ant. Franc. in Pan. in d. cap. cum Marthæ num. 7. lit. B. patet in languido Ioan. cap. 5. vadit, & amplius noli peccare, & de paralitico, siue hydropico, Lucas cap. 13. remittuntur tibi peccata tua.

- 4 Quarto, ut fiat statim, illico, protinus, repente, nam si fieret successiue, non diceretur verè miraculum D. Thom. loc. citat. art. 8. Bed. & Hier. super Luc. c. 4. de Soero Simon imperauit febri, & statim ita de Lazaro, statim, ita de filio viduæ, statim, & alia quam plurima, nec obstat, illud Mar. c. 8. de cæco illuminato paulatim, & successiue, quia etiam paruula temporis mora fuit sanatus, & facit ad hoc dictum Turrecrenate in c. sunt plures, de penit. dist. 1. & D. Thom. in 3. par. Summa q. 44. art. 3. ubi dicit miracula fieri subito, in instanti, & perfectè, & illum cæcum, de quo habetur Marc. 8. non recepisse statim visum, propter eius infidelitatem, secundum Chrysost. vel secundum Bedam, quem Christus vno verbo totum, simul curare poterat, paulatim curauit, ut magnitudinem humanæ cecitatis ostenderet, quæ vix, & quasi per gradus ad lucem redit, facit text. in c. maiores §. ubi adhuc de Baptismo, nec etiam ille cæcus, recessit a præsentia Christi, quin totus efficeretur sanus.

- 5 Quinto requiritur, quod non vi verborum, sed ex hominum merito illud contingat, nam panis, & vinum, potestare, & virtute verborum transubstantiantur in corpus, & sanguinem cap. cum Marth. extra de celebrat. Miss. & se requiritur quod miraculum sit euident, non autem latens, & credibile, ut est Eucharistia.

Sexto